

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES  
UNIVERSITY OF TORONTO

*M.A. Level Medieval Latin Examination*

7 September 2005

\*\*\*\*\*

Translate ALL FOUR passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is NOT permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. DO NOT USE PENCIL.

\*\*\*\*\*

1.     The World (Isidore)

Mundus est caelum et terra, mare et quae in eis opera Dei. De quo dicitur: "Et mundus per eum factus est." Mundus Latine a philosophis dictus; quod in sempiterno motu sit, ut caelum, sol, luna, aer, maria. Nulla enim requies eius elementis concessa est, ideoque semper in motu est. Unde et animalia Varroni videntur elementa. "Quoniam per semetipsa," inquit, "moventur." Graeci vero nomen mundo de ornamento adcommodaverunt, propter diversitatem elementorum et pulchritudinem siderum. Appellatur enim apud eos "kosmos", quod significat ornamentum. Nihil enim mundo pulchrius oculis carnis aspicimus. Quattuor autem esse climata mundi, id est plagas: Orientem et Occidentem, Septentrionem et Meridiem. Oriens ab exortu solis est nuncupatus. Occidens, quod diem faciat occidere et interire. Abscondit enim lumen mundo et tenebras superinducit. Sepententrio autem a septem stellis axis vocatur, quae in ipso revolutae rotantur...Meridies vel quia ibi sol facit medium diem, quasi "medidies," vel quia tunc purius micat aether.

## 2. Rivalry between Belinus and Brennius (Geoffrey of Monmouth)

Exin duo filii eius, Belinus uidelicet et Brennius, in regnum succedere uolentes maxima contriti sunt discordia. Contenderunt enim quis eorum diadema regni insigniretur. Cum itaque plures decertationes inter se commiscuissent, interfuerunt amici utrorumque qui ipsos in concordiam reduxerunt. Censuerunt quoque regnum inter eos ea conditione diuidendum esse ut Belinus diadema insule cum Loegria atque Kambria necnon et Cornubia possideret; erat enim primogenitus petebatque Troiana consuetudo ut dignitas hereditatis ei proueniret. At Brennius, quoniam iunior fuerat fratri subditus, Northanimbram ab Humbo usque ad Katenesiam adeptus est. Confirmato igitur super his pactionibus federe tractauerunt patriam per quinquennium cum pace et iusticia. Sed quia discordia sese prosperis rebus semper miscere conatur, affuerunt quidam fabricatores mendacii qui ad Brennium accesserunt, dicentes: "Ut quid ignauia te tantum occupauit ut Belino subiectionem teneas cum idem pater et mater et eadem nobilitas te ei parificet?"

## 3. The wolf and the heretic (Glossa Ordinaria)

Sicut lupus ouibus, sic haereticus insidiatur fidelibus. Et sicut lupus ovile circumit nocte, non audens intrare, canis somnum, pastoris absentiam vel desidiam explorans, sic haereticus nocte suae interpretationis fideles decipere conatur, ecclesiam non intrans; pastores ecclesiae vel vitare vel necare vel in exilium mittere contendit. Lupus, natura corporis rigidus, se inflectere facile non potest; sic haereticus intentionem duri cordis non solet ab errore reuocare. Unde Apostolus: "Haereticum hominem post primam et secundam correctionem deuita, etc." Lupus vero suo impetu fertur, et ideo saepe illuditur; sic haereticus impetum facit, sed saepe remanet inanis ne nocere possit. Lupus si prius aliquem viderit, vocem illius quadam naturae vi eripit; si homo illum prius viderit, eum exagitat. Sic quem versuta disputatione haereticus praeuenit, mutum reddit ne confiteatur verbum Dei; sed si quis commenta fraudis eius agnouerit, non patitur iactantiam vocis. Sicut lupus, sic et haereticus guttur inuadit; vitalibus vulnus affigit.

#### 4. Prometheus demythologized (First Vatican Mythographer)

Prometheus post factos a se homines dicitur auxilio Minervae caelum ascendisse; qui ignem furatus est, quem hominibus indicavit. Ob quam rem irati dii mala immiserunt terris, febres, id est morbos. Ipsum quoque Prometheum per Mercurium in Caucaso monte religarunt ad saxum, adhibita etiam aquila quae cor eius exederet. Haec autem omnia non sine ratione finguntur. Nam Prometheus vir prudentissimus fuit; unde et primus astrologiam Assyriis indicavit, quam residens in Caucaso monte nimia cura comprehenderat. Dicitur autem aquila cor eius exedere; quod est nimia sollicitudo, qua ille affectus siderum omnes motus comprehenderat. Et hoc quia per prudentiam fecit, duce Mercurio, qui prudentiae et rationis deus est, ad saxum dicitur esse religatus. Deprehendit praeterea rationem fulminum et hominibus indicavit; unde caelestem ignem dicitur esse furatus. Nam quadam arte supernus ignis olim eliciebatur, qui mortalibus profuit, donec bene eo usi sunt. Nam postea malo hominum usu in perniciem versus est.